

I. N. J.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

RÆDICAMENTIS  
SEOR SIM

DEO OPTIMO ADJUTORE

dprobante Amplissima Facultate Philosoph.  
in Regia Academia Aboensi, publica  
ventilationis submissa,

PRÆSIDE

J. JACOB. FLACH-  
SENIO, Metaph. & Log.

Prof. Ord.

RESPOND.

ISRAELE DYNÆSIO

S. R. M. tis Alumno.

In Acad. Audit. Maximo  
ad diem 31. Maij clo loc ix&iii.

ABOÆ,

---

excusa à PETRO HANSONIO

*Virū Reverendā dignitate & eruditione  
spectatissimo, nec non multijugā do-  
ctrinā Praeclarissimis:*

**Dn. PETRO Bång/ S. S. Theologian**

Doctori Excellentissimo, ejusdemq; facul-  
tatis in Regia hac Academia Aboënsi, Professori per-  
eximio, Ecclesiae Marianæ Pastori attentissimo, utri-  
usq; Consistorij Assessori gravissimo, Mecenati,  
vergetæ & Præceptoris, ac studiorum suorum promo-  
tori certissimo, æterna animi reverentia devenerando.

**Dn. PETRO ERICI Gers/ Academ-  
iae Aboënsis Quæstori accuratissimo,  
fautori & promotori optimo, quovis tempore per-  
petuo animi obsequio honorando.**

**Dn. M. MARTINO MILTOPÆO,**  
in Regia hac Academia, Eloquentiæ Pro-  
fessori celeberrimo, nec non Pastori in pycnis digni-  
simo, utriusq; Consistorij Assessori dexterissimo  
& p. e. Facultatis Philosophicæ Decano spectabili  
promotori ac præceptoris iugi observantiae & hono-  
ris cultu prosequendo.

**Dn. M. PETRO LAURBECCCHIO**  
in prædicta Academia Poëeos Professori celeberrimo,  
præceptoris & promotori ut indubitatissimo, ita  
sincero cordis affectu perpetim colendo.

**Dn. M. JOHANNI FLACHSENIO**  
in Regia hæc universitate Mathematum professori  
percelebri, fautori & promotori certissimo & præce-  
ptori fidelissimo, singulari honore & pio obsequio  
suspiciendo.

Mecenatibus, Patronis, Promotoribus & Præ-  
ceptoribus, submissè & perofficiose deven-  
randis, Disputationem hanc in debitæ obser-  
vantiae & gratitudinis declarationē cum des-  
votâ felicitatis exoptatione cōsecrat & offert

RESPONDENS.

CAP. III. SECTIO III. AXIOMAT. 129  
non de ijs quæ attribuuntur generi prout  
reperitur in inferioribus & singularibus.  
Unde sequitur nullam speciem habere ali-  
quid quod repugnat generi, Ubi etiam in-  
telligenda ea, quæ per se & necessariò con-  
veniunt naturæ genericæ.

IV. Species suo genere posterior  
est natura & cognitione.

§. 1. Natura posterior, quia ut docent  
& Porphyrius c. 3. & Arist. 4. Top. c. 2.  
in prædicamentis inferiora sunt posteriora.  
Cognitione quoq; *distincta scilicet*, quia  
universalia seu communiora prius traden-  
da ut præcipit Arist. lib. 1. de part. animal.  
c. 4. alias idem saepius tautologice esset  
repetendum.

§. 2. Intelligendus canon de *rebus ter-  
minis generis & speciei substratis*, non vero  
de terminis hisce *quatenus notiones secundæ*.  
2. De cognitione speciei *distincta* non de  
confusa & indistincta: dicit namq; alicubi  
Arist. *speciem prius cognosci quam genus*.

V. Individua primario non consi-  
derantur in disciplinis.

§. 1. Præcipit hoc Arist. 2. Rhet. c. 2.  
*Σοφία τεχνη σκοτεῖ τὸ καθ' ἐμέγον*. Rati-  
onem adgit, quia sunt infinita, caduca,  
corruptibilia & inconsistaria; disciplinæ au-

130 COLLEG. LOG. PROGEM.  
tem utpote habitus intellectus, amant versari circa universalia.

§. 2. Intelligendum axiomam de singularib⁹ in *actu exercito*, quomodo non nisi exempli aut inductionis causa, docente Fonseca, in disciplinis aliquando considerantur, *non de actu signato*, sic namq; & Metaph. & Logica de iis recte agit. 2. De Individuis corruptibilibus & caducis, de incorruptibilibus non.

## VI. Individui est existentia.

§. Nam ut inquit Boëthius: *omne quod est, eo ipso quod est singulare est.* Procedit canon 1. non tantum de individuis *substantialibus* sed & de *accidentalibus*: licet enim potiorem habeant existendi modum *illa*, revera tamen existunt etiam *accidentia*. Inexistere presupponit rō existere. 2. Accipiens canon de *existentia per se, completa & totali*, non de incompleta, partiali & per aliud. Universalia itaq; separatim non existunt, sed in singularibus. Entibus incompletis quidem non nego existentiam, hic tamen sermo est de eā quæ competit Individuis Logicis completā scilicet.

## VII. Individuum est incommunicabile.

§. Ratio est, nam non habet amplius aliquid infra se cui se potest communicare.

Scien-

## CAP. IV. SECTIO I. THEOREM. 131

Sciendum autem individuo non denegari  
hic communicationem i. κατ' ἀλογοίων  
neq; 2. κατα συνεκδοχὴν. neq; 3. κατὰ τε-  
εξάρησην, neq; 4. κατὰ μεθόσιν Sed tan-  
tummodo communicationem κατὰ μέθεξι  
juxta essentialē participationem, qua ali-  
quid commune est pluribus inferioribus,  
ut in illis divisim possit multiplicari. Et  
tantum de Prædicamentis in genere, nec  
non prædicamentorum gradibus.

## CAP IV.

### DE SUBSTANTIA,

ET IN

### GENERE DE ACCIDENTIBUS.

#### THESIS I.

Substantia est Ens per se subsistens,  
sinitum & completum.

Εἰθεσις.

§. 1. In frontispicio hujus capituli, à ple-  
risq; talis vel huic simili proponi solet  
Prædicamenti substantiæ definitio: Prædi-  
camentum substantiæ est ordo vel repræsen-  
tatio substantiarum per genera, species & dif-  
ferentias dispositarum ad ostendendam præ-  
dicandi aptitudinem, quæ in substantijs de-

*lirescit.* Sed eam hic magis repetere non duxi necessarium, siquidem ex Prædicamen-*ti* in genere supra data definitione, satis li-*quet*, quodlibet prædicamentum nihil esse aliud quam repræsentationem rerum sub eodem summo genere contentarum, factam per gradus, genera species & differentias; po-*tius* itaq; hic mox inquirendum, quid sit *substantia* & quibus proprietatibus à reliquis entium generibus dignoscatur. Unde ap-*paret* quid sit discriminis inter prædicamen-*tum substantiæ & ipsam substantiam.*

§. 2. Propositum Theorema definitivum absolvitur subjecto & prædicato, de quo-*rum utroq; pauca notanda.* Circa prius Definitum scilicet, nota 1. *Etymologiam.* vo-*cem substantiæ derivat Aug. à subsistendo;* Zab. & Fonseca, à *substantando:* alij à *susti-**nendo.* Posteriores duæ notationes com-*petunt substantiæ tantum Logice*, quæ ac-*cidentibus substaret, eaq; subjective sustinet.* Prima vero substantiæ etiam *præcise* tali, *Metaphysice.* 2. *Homonymiam.* Accipitur vox substantiæ 1. *Philologicice* denotatq; vel ( $\alpha$ ) *opes*, seu possessionem quo sensu dici-*mus substantiam inter hæredes dividendam;* vel ( $\beta$ ) *ordinarium* aliquod salaryum, quo sensu extra illud alicui oblata dicuntur ac-*cidentia, unde ὁ ξέδοξος: Accidentia sunt*

CAP. IV. SECTIO I. THEOREM. 133  
*præstantiora substantiis.* vel ( $\gamma$ ) *Sedimentum*, ut apud Medicos. II. *Philosophice* ubi ( $\alpha$ ) *late & Generaliter Ens seu Essentiam significat*; quia græcorum  $\delta\circ\imath\alpha$  & *substantiam & essentiam* denotat. ( $\beta$ ) *Stricte, subjectum*, quomodo omne id quod adjunctum est, dicitur *substantia*, etiamsi sit accidentis. ( $\gamma$ ) *adæquate pro ente per se subsistente.* Quo sensu vicissim in *duplici* est *differentia*, vel enim est *substantia Metaphysica*, quomodo præscindit à *substantia finita & infinita, completa & incompleta*; vel *Logica*, restringiturq; ad eas *substantias quæ directe sunt in prædicamento, quales sunt completæ & finitæ, quo sensu hic definitur.*

S. 3. *Prædicatum est definitio ipsa seu potius descriptio, genus namq; summum est substantia, & proinde perfecte non potest definiri.* Generis loco ponitur *Ens*, quod tamen accurate loquendo generis notiōnem non recipit, sed conceptus duntaxat latior, qui de substantia & accidente *intrinsece & οὐνούμεως* dicitur, analogice tamen in ordine ad prius & posterius. *Differentiae* conceptus exprimitur ( $\alpha$ ) per *Tò per se subsistere*, quā ratione substantia ab accidente adæquate differt; Substantiæ namq;

proprius character est *āυτοπεγία* h. e. *subſiſtētia*, cui opponitur *ένομηγία*, h.e. *inherētia*, quæ accidentib⁹ competit omnibus & solis. Ubi porro ſciendum, quod ὅ per ſe ſubſiſtēre ſeu ſubſtantia hic loci non ſumatur *ſpecialiter*, pro ſubſiſtēndi modo ultimato, qua ratione v. g. ignis in ferro ignito, ſal in aqua ſalſa, licet ſubſtantiae, per ſe non ſubſiſtunt ſed in ſubſiſtentia cocommunicata; ſed *generaliter*, quo ſenſu ſubſiſtēre nihil aliud notat, quam in exiſtendo non dependere à ſubjecto inhæſionis, & non eſſe in alio eo modo quo accidentia iſiſunt ſuis ſubjectis ſubſtantiaiſ, & ab illis dependent: In ſubjecto autem eſſe dicitur id, quod alicui 1. *Ineſt*. 2. *non eſt tamen illeſ pars*. 3. *omnino eſſe non poteſt niſi in illa re*. 4. *Nec conſtituit unum per ſe cum eo cui ineſt*, quæ omnia accidentib⁹ compe-tunt quæ ſunt in ſubjecto, ſubſtantiaiſ vero non.

§. 4. In data deſcriptione porro ulterio-ris determinationis cauſa adduntur verba *finitum* & *completum*, quæ ſubſtantiam *Metaphysicam* & *Logicā* diſcriminant: ſubſtantia namq; infinita propter eminentiſſi-mam perfectionem, incompleta vero pro-pter defectum directe in Prædicamento lo-cari non poſſunt.

## THESES. II.

Substantia est vel prima vel secunda. Prima est quæ de subjecto nullo dicitur, & est individuum substantiale; secunda vero quæ de subjecto prædicatur.

*Exthesis.*

§. 1. Hæc est divisio substantiæ Logica, quæ tamen non est generis in species, sed fundatur in diversa ratione subsistendi utriusq;, unde sequitur etiam diversa ratio prædicandi, secundum quam hic diversimode describuntur; utraq; quidem substantia subsistit ceu modo in thesi superiori expositum, inæqualiter tamen & analogice, Prima κυριως, τωρας ηγγημάλισε ut loquitur Philosophus h. e. primario & immeditate, diciturq; alio nomine *substantia singularis*: secunda vero secundario & mediante substantia singulari seu prima, vocatur alias *substantia universalis*.

§. 2. Per substantiam primam hic i. non intelligitur ea, quæ à nulla alia causa existit, quomodo solus Deus est substantia prima, creaturæ secundæ. Neq; 2. ea quæ suprema est in serie substantiarum. Sed 3.

substantia singularis & in serie substantiæ ultima & infima; hæc dicitur prima quoad statum *subsistentiæ*, quia primò subsistit & sensibus nostris obviam fit, & qua sublata de secundis nihil est reliquum, non si statum attendas *essentiæ* nam sic secunda prior est. Ultimo hoc quoq; observandum, substantiam primam Logicam & substantiam singularem per omnia non esse voces æquipollentes; omnis quidem substantia prima est substantia singularis, sed non versa vice.

### THE S. III.

Seriem Prædicameti substantiæ per genera, species & differentias usq; ad individua sequens diagramma complectitur..

Immaterialis ut Spis ritus qui vel	Substantia finita est vel	Absolutus à materia ut angelus	Bonus, ut Gabriel Malus, ut Beelzebub.
		vel determinatus ad materiam ut anima separata v. g. anima Lazari, Epulonis, &c.	
Materialis ut corpus idq; vel	Simplex	absolutè ut aquæ supra cœlest. cœlum, &c. Elementa.	
		Respectus vel ut Stellæ	Fixæ Perseus, Cepheus Ari- es, Taurus. Erraticæ ut $\textcircled{h} \textcircled{o}$ , $\odot \textcircled{\varnothing}$
Mixtum	Inanimatum ut Minera-	Inanimatum ut Minera-	Lapides / Poros Solidi. Gemmæ.
		lia.	Metalla, ut aus- rum argentum Mineralia me- dia ut creta, calx, terra lemania &c.
vegeta-	Herba	Alimentosa ut triticum	
		Medica- mentosa.	
Frutex	Arbor	Mixta.	
		Neutra.	
Sentiens	Ratio- nale ut homo	Infrugifera frugifera	
		ut malus Pyrus.	
Irrati- onale.	Volatile	Volatile	
		Natatile Gretile Reptile.	

Series Prædicamenti substantiæ multo prolixius potuisset repræsentari, ceu fecerunt egregie Keck. & Jac. Verenberg. in Tab. Prædicamentalibus ad quos prolixiorem substantiarum tabellam videre cupientem remitto. *Hæc de substantia.*

## THESIS IV.

Accidens est Ens substantiæ inhærens eamq; extraessentialiter afficiens.

*Exthesis.*

§. I. Quantum ad propositionis *subjectum*, sciendum vocem accidentis à Philosophis varie usurpari, modo enim significat idem quod *contingens* & *fortuitum*, modo *extraordinarium* & *incertum* aliquando idem quod *adjunctum*. Præcipue vero vox accidentis ratione nominis distinguitur in *Prædicabile* & *prædicamentale*; Ubi per accidentis prædicabile intelligunt omne illud quod non *essentialiter* sed *accidentaliter* de *subjecto* prædicatur, sive res illa quæ prædicatur substantia sit sive accidens, unde etiam apud Peripateticos definitur secundum Arist. i. Top. 5, quod possit abesse vel adesse *subjecto*, addit Porph. sine *subjecti interitu*. Prædicamentale autem accidens, quod substantiæ fulcitur sine qua existere nō potest,

potest, & qua cum universam entis latitudinem exhaerit; tale est illud quod in Thesi hac describitur, & de quo impræsentiarum sermo est.

§. 2. *Prædicatum* involvit conceptum descriptionis *latiorem* & *strictiorem*. vicem generis sustinet *Ens*, quod tamen genus accurate loquendo non est, ceu supra monitum ad Thes. i. §. 3. In conceptu *strictiore* *ratio formalis* & proprius character accidentium exprimitur per *tò inhærere* & *extraessentialiter afficere*. *Tò inhærere* potest hic exponi tum *negative* quomodo idem significat, ac non per se subsistere, ut sicut solæ substantiæ per se subsistunt, licet non semper *subsistentia propria* & *ultimata*, ita accidentium est inhærere; tum *affirmative*, sumiturq; sic *Tò inhærere latè* ut notet omnem inessendi modum, sive *strictè* & *rigorosè* quomodo quantitas & qualitas inharent sive quocunq; adessendi modo, sicut accidentia quædam tantum adharent & circumstant vel quocunq; modo afficiunt. unde sequitur accidens non posse existere sine suo subjecto: Sublata itaq; quocunq; modo substantia, pereunt etiam ejus accidentia. per *Tò extraessentialiter afficere*, accidens à modis substantialibus discer- nitur.

## THESIS V.

Accidens est vel Primarium quod  
vicissim aut absolutum, ut Quantitas  
& Qualitas; aut respectivum ut Rela-  
tio; aut mixtum ut Actio & Passio:  
vel Secundarium, ut Quando, Ubi,  
Situs, Habitus.

*Ἐκθεσις.*

§. I. Accidentis hanc divisionem ut *di-  
chotomiae* commodius includerent D. J. M.  
& D. Schartf. actionem & Passionem acci-  
dentiis secundijs accensuere; quæ ta-  
men primariis annumeravit D. Calov. quem  
titulum eodem jure retinent quo relatio.  
*Mixta* accidentia vocantur actio & Passio,  
quia aliquid commune habent cum *absolu-  
tis*, aliquid cum *relativo*; esse ipsorum est  
referri ad aliud, non tamen tanquam ad  
terminum instar relatorum, sed ad *subje-  
ctum externum*. Postrema hæc quatvor  
accidentia secundaria mixta quoq; dici non  
repugno.

## SECTIO II. ELENCHTICA.

## QUÆSTIO I.

An substantia sit in subjecto? N.

§. I. Præsciendum 1. Quæstionem intel-  
ligi

ligi tam de *substantia incompleta quam completa*. 2. *Subjectum intelligendum unde & inhaerentia non vero prædicationis*. 3. Distincta sunt esse in alio, & esse in alio tanquam *subjecto*. Prius multifariam dicitur utpote 1. Pars in toto. 2. Totum in partibus. 3. ut species in genere 4. ut genus in speciebus. 5. ut forma in materia 6. ut res locata in loco seu in ubi. 7. ut effectum in causa. Sed ut res sit in alio tanquam in *subjecto*; requiruntur tria ista requisita supra thes. 1. §. 3.h.c. indigata.

§. 2. Quibus præsuppositis facilis ad quæstionem est responsio, scilicet nullam *substantiam esse in subjecto*, nam *substantia omnis per se subsistit, accidentia vero inhaerent & in subjecto sunt*.

§. 3. Atq; ex his satis patet quid sit respondendum, si quis objiciat. Partem *substantialem inesse suo toti, formam materię, locatum esse in loco, contentum in continente*, ut aurum in loculo, vinum in dolio &c. quæ exempla videntur evincere etiam *substantiam esse in subjecto*. Respondendum nempe, *accidentalem quidem in his dari unionem unius substantiae ad aliam, quæ qualemcumq; infert inexistentiam, non tamen in haerentiam talem, quā unum inhae-*

ret alteri ut subjecto, idq; propter defectum  
requisitorum; nam v.g. forma licet insit  
materiæ, cum ea tamen constituit unum  
perse. Aurum utut sit in loculo, potest  
tamen esse etiam extra loculum & alibi. &  
sic de cœteris. Non itaq; repugnat sub-  
stantiæ esse in alia substantia 1. οὐλαγητι-  
κῶς ut loqvuntur: ut aqua in spongia, vi-  
num in poculo: Sangvis in venis; cibus  
in ventriculo. 2. ὁδαχωρησικῶς; ut an-  
nulus in digito nix in pariete. 3. ὀδιχω-  
ρησικῶς ut anima in corpore, licet non pos-  
sit inesse subjecto ἐνυπάρξει.

## Quæstio II.

An omnis substantia habeat acci-  
dentia?

§. 1. Si quæstio sit intelligenda de sub-  
stantia in *ultima abstractione* & *præcisæ* sum-  
pta, utiq; erit neganda: Deus enim vere  
est substantia, in quem tamen nulla cadunt  
accidentia, obstante summa ejus simplici-  
tate, summaq; perfectione, quæ non est in-  
diga alicujus perfectionis, quam conferunt  
creaturis accidentia.

§. 2. De substantia vero finita & crea-  
tam immateriali quam materiali, comple-  
ta & incompletâ quæstio hæc omnino affir-  
man-

Millium foret differimus adi-  
centium si nihil ipsorum

manda. Instructi namq; sunt *spiritus cre-  
ati* qualitatibus, utpote habitibus, nec non  
potentia intelligendi, actionesq; multas ex-  
ercent, quæ omnia cum ipsa eorum essen-  
tia non sunt eadem, sed perfectiones quæ-  
dam accidentales, subiective in illorum na-  
tura inhærentes. De *corporibus* minus est  
dubium, quis enim nesciat, creaturam non  
esse immediatum suarum actionum princi-  
pium, sed per qualitates intermedias operari.

## Q U Ä S T I O III .

An *accidens naturaliter* sine suo  
subjecto existere possit?

§. 1. Omissis ambagibus quæstio hæc est  
*neganda*: nam *accidens* ēn *ωραίος*,  
seu cum mentione subjecti definitur, sine  
quo etiam existere non potest; illud enim  
nō posset jam non *accidens* sed *substantia*  
esset. *Esse accidentis est inesse, substantiae*  
autem per se subsistere.

§. 2. Notanter dicitur in quæstione *na-  
turaliter*: distingvendum namq; inter *po-  
tentiam Dei ordinariam* qua secundum or-  
dinem à se in natura institutum operatur  
& *absolutam* qua ordinem istum ex divino  
beneplacito translit & supra *naturaliter* a-  
git, quomodo etiam accidentia sine subje-  
cto sustentare & conservare si velit, optime  
autem quia *principia* *potest*  
*in esse possit*

potest; ordinarie vero à substantijs sustinuntur.

## SECTIO III. AXIOMAT.

## AXIOMA I.

Substantiæ inter se non sunt contrariae.

§. 1. Habet hunc canonem Arist. lib. Cat. cap. 5. alias ita solet efferri, eodem sensu: *substantiæ nihil est contrarium. Ratio, quia substantiæ sunt subjecta contrariorum, contrarietas itaq; omnis ex qualitatibus contrariis.*

§. 2. Competit hæc proprietas 1. Substantijs omnibus sed non solis, nam nec quantitas quantitati contraria. Vera est 2. de substantiis per se & ratione sue naturæ qua substantiæ sunt, non quatenus accidentibus sunt vestitæ. 3. Non de contrarietate sumta generaliter pro qualibet oppositione, sed specialiter pro cā, quæ intercedit inter adversa, quorum unum ē subiecto expellit alterum. Quod itaq; admirabilis in mundo reperiatur antipathia & contrarietas rerum, scil. quod lupus ovi, felis muri, canis feli vultur gallinæ, vitis brassicæ, ignis aquæ contrarietur non ipsis substantijs sed accidentibus contrarijs adscribendum.

§. 3. Scheibl. lib. Sent. Exerc. 4. Ax. 6.  
 per invasus à Ramo ~~duo~~ ponit contrariorum  
 genera: *alia* quidem *in subjecto* ut calor &  
 frigus; *alia* vero *subjecta ipsa*, ut homo &  
 brutum: vel ut loquitur Ramus, *Tò Rationale Irrationale*, quæ sunt contrariæ dif-  
 ferentiæ ejusdem generis. Sed isto effugio  
 non fuit opus: nam contrarietas hic non  
 significat ejusmodi distantiam, qua duo ter-  
 mini sub eodem proximo genere contrari-  
 antur, ut homo & brutum: sed pugnam  
 eorum quæ non saltem sub eodem genere  
 sunt, sed etiam successive *eidem subjecto* in-  
 sunt, unde se mutuo expellunt.

## II. Substantia eadem numero est susceptibilis contrariorum.

§. Ratio est, quia substantia est illud sub-  
 jectum, in quo sit talis contrariorum per-  
 mutatio. valet canon 1. de substantia *crea-  
 ta & finita*, non vero de increata & infinita.  
 2. in sensu *diviso* seu de *diverso tempore*,  
 non in sensu *composito & simul*, sic enim  
 non possunt recipi. 3. *Cum conditione capa-  
 citatis*, si substantia sit capax contrariorum;  
 hinc cœlum nec album est nec nigrum. 4.  
*cum mutatione substantiae*, non quidem essen-  
 tiali sed *accidentaliter*. 4. de *contrarijs separa-  
 bilibus & extrinsecis*, non de ijs quorum alterū

naturam inest & separari non potest; hinc  
riguis non recipit frigus. 6. De receptione  
contrariorum non quidem semper *actu*, suf-  
ficit ut possit recipere.

### III. Substantia non potest intendi & remitti.

§. 1. L. Cat. c. 5. Aristoteles ita effert  
hoc axioma: *Substantia non recipit magis*  
*et minus*. Sed i. Met. c. 6. sic: ὡντα, μημη-  
σιν ἔχει τὸν αὐτόν μονά, i. e. *Essentiae sunt si-*  
*cum numeri*. Ratio in conspectu est: nam  
in substantia non datur latitudo & amissio  
graduum, sed consistit in indivisibili. Sen-  
sus canonis est: Prædicata substantialia  
non intenduntur in una & remittuntur in  
altera: sunt enim in omnibus æqualiter.

§. 2. Valet itaq; canon 1. de esse substanciali, quatenus tale est, non ratione qualitatum. 2. De substantia considerata ratione essentiæ, non ratione modi subsistendi. 3. De intensione & remissione in rei natura, non vero in cognitione nostra. 4. Potest substantia dici intendi & remitti cum variatione speciei, non vero sine hac varia-  
tione; exemplum hujus rei habes in ele-  
mentis & eorum formis, quæ remissæ & ca-  
stigatæ sunt in mixto.

§. 4. Nota: dum ita effertur canon: sub-  
stan-

*Substantia non recipit magis & minus, sciendum, non æquipollere Tò magis & minus cum τῷ majus & minus: nam posterius involvit quantitatem, v.g. Goliath non erat magis homo quam David, erat tamen major homo, quippe cuius altitudo erat cùbitorum 6. & palmi 1. Sam. 17: 4.*

#### IV. Destructis substantiis primis nihil manet reliquum.

§. Tradidit hanc quoq; regulam Aristot. I. cat. 15. Ratio est, quia substantiae primæ *falsa* sunt non tantum accidentium sed & substantiarum secundarum. Intellige canonem de substantiis in tota sua latitudine, & quoad omnia non quoad aliqua falso individua: Sublato namq; uno vel pluribus individualiis, natura & perfectiones speciei in reliquis possunt esse superstites.

#### V. Accidens natura & cognitione est posterius substantia.

§. 1. Habet hunc Canonem Arist. 3. Met. c. 1. Rat. quia accidens est effectum substantiae. Natura quidem posterius est substantia, quia à substantia dependet. Cognitione etiam, nam definitur cum ~~accidens~~ subjecti, quod est substantia.

§. 2. Observa verum esse axioma de notitia distincta non semper confusa, vel de

notitia, qua quid notius est  $\phi\sigma\epsilon$ : & secundum se, non  $\kappa\alpha\theta'$   $\eta\mu\alpha\varsigma$  seu quoad nos: hoc namq; modo accidentia sunt cognita, substantiis ignotis, sed non illo modo de quo loquitur canon.

### VI. Accidens unum numero, non migrat de subjecto in subjectum.

§. 1. Ratio hujus canonis est: nam ista migratio evertit naturam accidentis, cuius esse est inesse; durante enim ista migratione non inesset alicui subjecto.

§. 2. Accipe Canonem 1. de *accidente eodem numero non specie.* 2. De *migratione vera & propria non metaphorica.* 3. de *migratione metaphorica transitiva, non metaphorica exhibitiva.* 4. de *subjecto ὑπάρχεως non κατηγορίᾳ seu prædicationis.* 5. *De migratione per se non v. per accidens.* Ex quibus observationibus facile est respondere ad illas difficultates, quæ hic occurrere possunt.

### VII. Unum numero Accidens, non potest esse in duobus subjectis.

§. 1. Ratio est, nam accidentia numerantur & multiplicantur secundum numerum suorum subjectorum; Si ergo unum accidens poneretur in pluribus subjectis, tunc esset unum & non esset unum, quod implicat.

CAP. IV. SECTIO III. AXIOMAT. 148

§. 2. Dist. inter subjecta diversa & coniuncta seu subordinata. 2. Inter inesse simul & successiva. 3. Inter accidens simplex & aggregatum. Aggregatum accidens secundum aliquam partem potest esse in hoc, secundum aliam in alio subjecto. v. g. virtus moralis quoad actum discretivum quo discernimus inter honestum & turpe, concernit intellectum, qui dicitur quid honestum vel turpe; quoad electivum vero & appetitivum est in voluntate, quae tamen subjecta ultimate non sunt divisa. Fidei salvificae eadem est ratio. Non potest itaque unum numero accidens esse in multis numero subjectis αὐνδεῖσοις, optime vero potest in duobus subjectis συνδεῖσασμένοις. vide Meisn. Phil. Sob. Sect. IV. Cap. VII. Quæst. III.

CAP V.

DE QUANTITATE  
ET QUALITATE.

SECTIO I. THEOREMATICA.

THESIS I.

Quantitas est accidens, secundum quod substantia est extensa.

Ἐκθεσις.

§. I. De ordine quo tradenda sit quantitas,

tas, quo qualitas hic non multum labore,  
non quidem nescius qualitatem ordine na-  
ture prius considerandam, quod & à no-  
biliori proveniat principio & ipsa sit quan-  
titate nobilior; sed consuetum doctrinæ or-  
dinem servare contentus, Theorematis &  
subjectum & prædicatum paucis tantum li-  
neis illustrabo.

§. 2. Ad prius nota, per Quantitatem  
hic non intelligi 1. quantitatem *intensivam*,  
*virtutis & perfectionis*, quæ *impropriè* quan-  
titas dicitur & etiam Spiritibus competit v. g.  
cum Aristotelem dico maximum Philoso-  
phum, Achillem magnum ducem. Neq;  
2. quantitatem *intelligibilem*, quam qui-  
dam Spiritui tribuunt, dicuntq; talem esse  
qua quidem Spiritus *in se* non est extensus,  
ab intellectu tamen tanquam extensus con-  
cipitur. Sed 3. *propriè* quantitatem *molis*,  
quæ alias *dimensiva seu extensiva & realis*  
dicitur, remq; extensam h. e. *partes extra*  
*partes habentem denominat.*

§. 3. *Prædicati* in Theoremate seu defi-  
nitione eadem est ratio, quæ est aliorum *gene-  
rum summorum*: Generis vicem sustinet  
~~accidens~~, quantitas enim non est Ens per  
se subsistens sed inhaerens. *Conceptus stri-  
ctior* quantitatis essentiam seu rationem for-  
malem exprimit, quæ consistit in extensione.

Sed

## CAP. V. SECTIO I. THEOREM. 150.

Sed extensio est triplices: Entitativa, Localis & Quantitativa. vel ut alij: Entitativa, situalis in actu & aptitudinalis. Extensio illa entitativa, alias quidditativa & substantialis dicta, est qua corpus habet diversitatem partium seu partialium entitatum & à substantia corporea realiter non differt, quam impræsentiarum non intelligimus; reperitur namq; in substantia corporea etiam si quantitas ab eadem per potentiam divinam sejungeretur. Extensio Localis & situalis in actu est, qua corpus actu commensuratur loco tan<sup>z</sup> & magnitudinis, quantus sibi in tanta magnitudine competit; qua quidem extensione corpus naturaliter est extensum: quoniam tamen actus hic secundus à substantia corporea potest separari sine implicacione contrarietas, ceu exemplis aliquibus manifestum evadit, ideo potius dicimus formale quantitatis consistere in extensione quantitativa aptitudinali, quæ infert aptitudinem ad locum, seu qua corpus est aptum ut commensuretur spatio suæ magnitudini debito: Et hoc sensu quantitas jam per extensionem est definita. Unde confit essentiam quantitatis non recte poni in mensurabilitate, aut divisibilitate, siquidem hæc ipsa quantitate sunt posteriora. Daturq; quantitas quæ amplius divisibilis non

151 COLLEG. LOG. PROCM.  
est ut in atomo. Sed de his prolixius in dis-  
ciplina transcendentali.

## THESS. II.

Quantitas est vel continua, cuius  
partes communi termino copulantur;  
vel discreta cuius partes ab invicem  
sunt discretæ.

*Exthesis.*

§. 1. Anxiè licet disquiratur à Philosophis an sit divisio hæc *equivoci* in sua *equivocata* an vero *analogi* in sua *analogata*, magnaç; pars contendat, numerum qui quantitas est discreta, solum nomen participare quantitatis, quia non est Ens per se unum sed tantum per aggregationem; cum Calov. tamen alijsq; sana ratione assertere licet, hanc divisionem esse generis analogi in species analogas. Idq; 1. Quia non tantum nomen, sed & *definitio* quantitatis competit numero *analogicè*: per numerum enim enim res dicitur extensa secundum *multitudinem*. 2. Quia adjunctum proprium quantitatis *divisibilitas* competit etiam discretæ; & sicut quantitas continua minima amplius non potest dividi, ita nec discreta. 3. Quia quantitas in genere constituitur objectum disciplinæ alicujus Philosophicæ

CAP. V. SECTIO I. THEOREM. 152  
sophicæ scil. Matheſeos, quod ipsum indi-  
cat quantitatem prout abſtrahit à continua  
& diſcreta, *unum gignere conceptum* licet  
non univocum, *analogum* tamen, ideoq;  
non esse æquivocum.

§. 2. Hoc ut firmius tibi persuasum ha-  
beas, ſcias *numerum* alium eſſe *numera-*  
*tum*, *materiale* & *physicum*, qui rebus  
ipſis eſt applicatus & citra controverſiam  
eſt ens per accidens; ut duo homines, tres  
leones; *alium Numerantem*, *Formalem* &  
*Arithmeticum*, ipſa ſcilicet unitatum collec-  
tio & numerus in abstracto conſideratus,  
quem intelligi volamus cum numerus ſpe-  
cies quantitatis dicitur. Hac de contro-  
verſia vide ſi placet plura apud Svaretz. Disp.  
41. Sect. I.

§. 3. Quantitas continua dicitur alias  
*magnitudo*, ſi absolute ſumatur: nam ma-  
gnum quatenus dicit respectum ad parvum  
ad prædicamentum *Relationis* pertinet, alias  
magnitudo parva etiam eſt magnitudo.  
*Communi termino copulari* nihil eſt aliud,  
quam partes ita cohærere, ut partis unius  
initium alterius finis sit, extramaq; in uno  
puncto indivisibili concurrant. *Termini*  
vero quantitatis ſunt tres; *inchoans*, *finiens*  
& *communis* ita dictus quod utriq; parti ſit  
communis unam finiendo alteram inchoan-

do. Hinc dispalescit differentia inter *continuum* & *contiguum*; illud ens per se est quia uno termino cohæret: hoc autem Ens per accidens quia partibus copulatur diversis. v. g. si lapis lapidi, affer afferi superimponatur.

§. 4. Quantitas discreta dicitur alias *multitudo*, non quidem *respective* prout paucitatem respicit, sic relativum quid est, sed *absolute*. Discreta dicitur hæc quantitas, quia terminum non habet communem quo copulatur, sed eo quidem respectu partes habet separatas.

### THESS. III.

Quantitatem continuam absolvunt linea, superficies & corpus; discreta numerus dicitur.

*Exθεσις.*

§. 1. Licet non desint, qui *quinq;* quantitatis continuae species recensent, imo quidam *Sext*, alij *Septem*, hisce tribus addendo *locum*, *tempus*, *motum* & *pondus*: Tres tamen esse tantummodo quantitatis continuae species, & reliqvas illas frustra his annumerari patet singulorum naturam & proprietates paulo alitus indaganti. Nam i. Locus & *tempus* copori non sunt internæ sicut quantitas

titas sed externæ, unde etiam in Physicis inter affectiones corporis extrinsecas ponuntur. 2. Motus non habet partes componentes ut requirit ratio quantitatis, sed tantum sibi succedentes; extensioneq; duntur entitativa non quantitativa extenditur. 3. Pondus gravitatem nunc majorem nunc minorem significat estq; species non quantitatis sed qualitatis.

§. 2. Linea est quantitas, quā in *solam longitudinem* extenditur subjectum, & est omnis latitudinis & profunditatis expers: qualis linea licet vix dabitur, siquidem ex parte rei trinæ dimensiones in corpore sunt conjunctæ, formaliter tamen una præscindenda est ab alia. aliud habet formale longitudo, aliud latitudo aliud item profunditas. Superficies est quantitas longitudinem & latitudinem habens sed profunditatis expers, cuius imaginem nobis umbræ corporum exhibent. Corpus est quantitas, quā subjectum in longitudinem, latitudinem & profunditatem extenditur. Ubi scias non inteligi corpus physicum, quatenus materia constat & forma, sic enim spectatum corpus in prædicamento substantiæ est, sed Mathematicum quatenus tria constat dimensione & terminos habet ipsas superficies, quæ si planæ sint, *edgæ* dicuntur unde & corpus ipsum

nunc τετραέδρον nunc πενταέδρον &c. appellatur. De quibus in Geometria prolixius.

§ 3. Alteram discretæ quantitatis speciem vulgo creationem faciunt, quam quidem eo reduci posse non nego, quatenus in eadem numerus spectatur: peculis arem tamen discretæ quantitatis speciem accurate los quendo non constituit.

*Series quantitatū ex subj. patet diagrāmate:*

Quantitas est vel	Conti- nua seu ma- gnitudo seu ma- gnitudo	Superfi- cies, seu latitudo	Figura	Linea	Recta	scircularis
				seu lon-	Obliqua	Mixta
Quantitas est vel	Corpus seu soli- ditas,	Regu- larē	Sphäricū:	Angulus	Rectus	Acutus
				seu oblique	Obliquus	Obtusus
Quantitas est vel	Discreta seu multis- tudo ut nu- merus qui vel	Irregu- lare, cujus variæ species.	Circula- ris ut circulus	Rectili- nea	Trilatera	Quadrila- tera ut Rhombus
				Mixta, ut & segmenta circuli,	Multilatera cujus variae Species.	Rhöboides,
Quantitas est vel	Discreta seu multis- tudo ut nu- merus qui vel	Irregu- lare, cujus variæ species.	Sphäricū: Mixtum: coni, drus hæmisphærium,	Platum, pyramis, prisma cubus &c.	Sphäricū: Mixtum: coni, drus hæmisphærium,	
				1. Par vel impar.	1. Par vel impar.	
				2. Primus vel compositus.	2. Primus vel compositus.	
				3. Integer fractus vel mixtus.	3. Integer fractus vel mixtus.	
				4. Simplex vel figuratus.	4. Simplex vel figuratus.	

Schema quantitatis prolixius si placet,  
peti potest ex ante nominato Jacob. Veren-  
bergio in Tab. Prædic.

## THESIS IV.

Qualitas est accidens substantiam fi-  
nitam denominans qualem.

*Ἐκθεσις.*

§. 1. Vocem Qualitatis introduxit Cic.  
ceu ipse lib. i. Quæst. Acad. testatur, sicut &  
appellationem græcam *ποιότης* dedisse vulgo  
putatur Aristot. Accipitur vox Qualitatis  
1. *Essentialiter*, sicq; denotat quamvis for-  
mam qua subjectum aliquod dicitur quale,  
ut Arist. lib. Cat. c. 8. Hoc sensu etiam for-  
mæ substantiales, differentiæ specificæ &  
substantiæ secundæ qualitates dicuntur. 2.  
*Transcendenter*, quomodo perfectiones divi-  
nas qualitatis venire nomine asserit Calov.  
3. *Accidentaliter sed in genere*, pro qvovis  
accidente substantiæ contradistincto: hoc  
modo usurpavit vocem Porphyrius dicens,  
*accidentia omnia praeditari in quale*, h. e.  
dicere subjecti qualitatem quandam. 4. *Ac-  
cidentaliter in specie*, pro certo accidentis  
genere cœteris contradistincto, quæ acce-  
ptio sola hujus est loci.

§. 2. Varie à Philosophis definitur qua-  
litas;

itas; à Thoma quod sit modus substantiæ: à Philipp. Mel. forma per quam est efficax; quibus tamen præstat hæc in thesi proposita; ubi vicem generis supplet accidens. Concepsum differenriæ voces cœteræ absolvunt. Ubi substantia finita dicitur qualitatis subjectum; infinitæ enim ut (proptè loquendo) nulla accidentia, ita nec ulla qualitas competit. Præterea dicit theorema, substantiam hæc denominari qualem, idq; vi conjugatorum: abstracta enim & concreta se mutuo definire solent. ubi non intelligendum quodcunq; in quale prædicabile sed prædicamentale, singulari quodam & cœteris accidentibus contradistincto modo substantiam afficiens.

§. 3. Hic vero notandum, non omnes qualitates eodem modo substantiam denominare qualem. quædam enim id faciunt simpliciter, quædam secundum quid. Hic fundamentum est distinctionis subjecti in *absolutum & limitatum*, de qua infra in doctrina Topica.

§. 4. Qualitas ut substantiam simpliciter denominet, requiritur ut ei insit 1. *Satis intense* ut loquuntur, i. e. quoad plures gradus, unde v. g. aqua plures habens gradus frigoris quam caloris simpliciter calida denominari nequit. 2. *Satis extense* i. e. pro majori

majori subjecti parte; hinc Æthiops licet sit albus dentes, simpliciter tamen albus denominari nequit. Ubi tamen excipiendæ qualitates illæ, quæ determinatè quidem postulant aliquam totius partem, totum tamen subjectum denominant; ut cum quis dicitur crispus à crispitudine duntaxat capillorum.

3. *Satis protense* i. e. non raro sed communiter & cum notabili aliqua temporis differentia: itaq; homo ut plurimum pallidus, si ruborem ob verecundiam contrahat simpliciter pallidus denominari nequit: Excipiuntur tamen qualitates sua natura tales, ut diu durare non possint, v. g. sonus, et si citò transeat, subjectum tamen sonans simpliciter denominat; quia non habet aliud essendi modum, quam eum qui subito est transiens. Hisce observatis introductus est canon: *Denominatio fiet à potiori.*

§. 5. Ultimo hic notandum, qualitates quasdam *proprio nomine concreto* denominare substantiam, v. g. calor calidam lux lucidam, justus justam: quædam vero vel *circumscripтиво vel аlio communi nomine*: v. g. species leonis recepta ab intellectu, cum non denominat leoninum, nec species equi in oculo recepta oculum equinum, sed specie equi vel leonis informatum.

## THESIS V.

Species qualitatis sunt quatuor: 1. Habitus & Dispositio. 2. Potentia & impotentia naturalis. 3. Patibilis qualitas & passio. 4. Forma & figura.

*Endeosis.*

Divisionem hanc proponit Arist. I. Cat. c. 8. de qua nota Tria. 1. *Sufficientium.* Quam aliter probare conatus est Simplicius aliter Suaretz. Hic vero specierum qualitatis numerus non aliunde firmius probari potest quam à posteriori: siquidem nulla datur qualitas, quæ non ad aliquam harum refertri queat. Licet itaq; Aristoteles bina cuiq; speciei assignavit nomina, exinde tamen tot qualitatis species constitutas non voluit, cœu frustra contendunt, sed per duo ista nomina indicare voluit ejusdem speciei *diversos gradus*, ut in prioribus duabus speciebus: vel *aliquam accidentalem differentiam*, seu in duabus posterioribus.

§. 2. II. *Distinctionem.* Existimant plurimi inter quos est Timplerus, absurde satis, has qualitatis species vel plane nō, vel saltem formaliter à se invicem differre, persarsi non nullis Aristot. exemplis & locutionibus qui busin Cat. lib. *cu* *τάτας* loquendo usus est.

Scien-

JUVENI

Multis mihi jam annis apprime dilecto,  
Dn. ISRAELI DYNÆSIO,

Egregie Publiceq; Disputaturo:

Ic Logicam resonare docet DYNÆSIUS antris  
Castalidum; Musæ per juga montis eunt;  
applaudunt cœptis; Parnasso gaudia Sacro  
Gratantur faciles argj risere Deæ.

ixere, & quondam noster DYNÆSIUS hisce  
Excultus studijs, digna brubea feret.

Gratulabundus adplausit  
L. Mq;

JACOB. FLACHSENIUS.

---

Præstantissime Dn. ISRAEL DYNÆSI,  
Amice perdilectè salutem.

QVANTO studio quantaq; adsiduitate, o-  
ni tempore postquam in numerum stu-  
iosorum receptus es, virtuti ac bonarum  
ritium studijs invigilaveras, specimina  
ia varia, tam publica quam privata,  
tiam me tacente abundè testantur, in-  
ter quæ haud postremum meretur locum,  
xercitium hoc præsens, sub præclarissimo  
Dn. Logices Professore suscepimus. Perge-  
gitur quo cœpisti modo, ingenium tuum  
alidum, scripta doctissimorum virotum  
edulo pervolvendo excolere, sic brevi tibi  
finis exantlatorum laborum dulcissimus im-  
mine-

minebit, qui ut feliciter contingat, calidissimo atq; piissimo voto exopto.

Festina licet manu, fraterno tamen affetu apposuit Tuus

JOHANNES L. BROCHII

---

Præstantissimo Domino Dñ Næsio,

Ante aliquot septimanas insigne in studiis Antiquitatum dedisti specimen ingenij tuis. Nunc verò sub Præside præclarissimo, præclarum ingenij factum deponere non veritus es. Nihil nunc ulterius dico: Deus omni dirigit, ut studiorum telam probè pertexere valeas.

In fraterni amoris Symbolum  
Lubens reliquit

ISAACUS BROWALLIUS

---

Iucundum mihi sane est audienti, te rursum in disputationando sedulo temet exercere: Specimen, non ita pridem, laudabile in Historia Ecclesiastica dedisti: Num v. conatus tuos in Philosophica hac exercitatione colaudo. Quis cum palam monstres ingenium in Te elegantiissimum, conjunctum cum haud vulgari industria teq; ad Philosophica studia tractanda excolenda natum factumq; merito has dotes virtutesq; Tibi gratulor, juxtaq; precor ex animo, ut gratia divina possit adesse dignetur, quo Te patriæ præstare possis ipso optentem, quam nunc per pulchra tua specimina sponte denit. Vale

Patriotæ & Amico per amandæ  
festinanti calamo adposuit

MAGNUS WALLENIUS Junio